



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliae Catholicae De Sacris Arcanis Deiparæ Mariæ Et Iosephi

Cum quadruplici Indice

Cartagena, Juan de

Coloniae Agrippinae, 1613

Homilia Sexta. Virtutes variæ, quibus B. Virgo in Templo effulsit, virginib. imitandæ proponuntur: præsertim verò clausura, verecundia, otij vitandi cura, quæ sunt velut propugnacula virginitatis, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51414)

HOMILIA VI.

Virtutes variae, quibus B. Virgo in Templo effulsit, virginibus imitanda proponuntur; praesertim vero clausura, verecundia, otij vitandi cura, quae sunt velut propugnacula virginitatis, cuius custodia mira difficultas ex Patrum doctrina ostenditur: variaque ad illam superandam remedia traduntur.



QVAE sancta, quam sincera, quam perfecta, quam coelestis, quam seraphica, quam omnibus numeris absoluta Mariana in Templo viuendi ratio fuerit, non aliunde probare adnitatur, quam ex his, quae de illa ibidem commorante, praeforum Patrum antiquitas contestata nobis reliquit. Ioannes Chryso- st. ait: Beata Maria ultra omnem humane naturae modum, modestiam, atque temperantiam excoluit; ac ob id vniversorum Dominum in vtero gestare promeruit. Quod si qua virgo alia maiori modestia, vel ampliori puritate, aut maturitate praeter hanc ornata exiisset, illam sibi Dominus praehac ipsa omnino in habitaculum delegisset. idem etiam Chryso- st. inquit: Maria non leuis, non iocosa, non caritatrix, non ruperum verborum amatrix, sicut solent plerumque puellae, quae libenter talia aut loquuntur, aut audiunt; non super virum oculos suos extulit, nec infixit aspectu. Ioan. Damascenus: Deinde in domo Domini plantata, & impinguata spiritu, veluti oliua fructifera, omnis virtutis habitaculum facta est, ab omni seculari vita, & carnali concupiscentia procul mentem sequestrans; sic virginem animam cum corpore conseruans, vt decebat eam, quae in sinu Deum susceptura esset: sancta enim existens in sanctis requiescit: sic igitur sanctificationem omnem exercet, & templum

sanctum, & admirabile Alifim Dei digne demonstratur. Epiphanius presbyter Constantinopolitanus in vita Virg. Erat docilis, & amans doctrinam, & non solum in sacris literis, sed etiam in lana, & lino serico, & hyssop laborabat; erat praeterea in sapientia, & intelligentia, super omnes illius seculi adulescentulas, cunctis admirationi, quae, & vere conseruit ea, quorum vsus erat in Templo sacerdotibus. D. Anselmus opusculo de forma, & moribus beatae Mariae; Mos tuus erat modice loquela, expedita obedientiae, munda proximationis, sine audacia, sine turbatione, sine ira, benigne saluans, eloquentiam eius homines mirabantur; & paucis interiectis, subdit: perseverans in orationibus, ferens pauperum proprii coloris, lectionis, teinij, & labori manu, & omni bona virtuosae operationi se dederat. Eximias has Virginis virtutes Ambrosius cõtemplans, ad Virginis imitationem nos inuitans, ait: Sicut vobis tantam in imagine descripta virginis Mariae, & eius vita, in qua, velut in speculo, resulget species castitatis, atque forma virtutis. Hinc sumatis, licet exempla viuendi, vbi tantam in exemplari magisteria sunt expressa probitatis, quae quid corrigere, quid tenere debeatis, ostendunt. haec Sanctus Ambrosius: quibus non dissimilia scripsit D. Hieronymus epistola ad Paulam, & Eustochium in haec verba: Si placet vobis, charissime, talis, ac tanta Virgo placeat, & opus virtutis eius, cuius vita, omnium disciplina est, cuius mores, instituta sunt Ecclesiarum. Et quidem Ethnici philosophi putarunt magni momenti esse, praclarum alicuius viri viuendi rationem attendere, vt ad eius normam mores quisque suos efformaret; vnde Terentius in Adelphis dixit: Inspicere tanquam in speculo vitam hominum iubeo, atque ex alijs sumere tibi exemplum: & Seneca ad Lucillum scripsit: Elige tibi, cuius tibi placeat vita, quia opus est aliquo, ad quem mores nostri se erigant: ac tandem Cato inter sua documenta, hoc potissimum reliquit:

Multorum exemplo discite, quae facta sequarur,

D. Anselm.

Ambros. lib. de Virginib.

D. Hierony.

Terent. in Adelph.

Seneca ad Lucillum.

Cato in suis documentis.

Ioan. Chry-
st. in Do-
mini hypo-
panti.

D. Chryso-
st. in Matt.

Ioan. Da-
masc. lib. 4.
cap. 15.

Que fugias, nobis vita est aliena magistra.

Ex unanimi igitur Patrum, quos re-
tuli, doctrina, tria præcipue virginibus imi-
tanda proponuntur: ad virginitatis earum
custodiam appetitæ necessaria. Primum,
clausura, & à virorum consortio omnimoda
sequestratio, ut enim eleganter dixit D. Hieronymus
epistola ad Eustochium: *Raro cogitatur in mente, quod*

D. Hierony.

*exterioribus sensibus non nutriunt; hæc enim sunt
fenestræ, hæc est, quæ nisi clausa fuerit, morti
patet introitus, & nil nisi funeste ingreditur;
in silentio autem, clausura, ac quiete cogitationes
peruersæ vitantur: idem etiã Hieronymus.*

Hieronym.

*epist. 22.
cap. 11.*

*eidem Eustochio scribens, dicit: Caue, ne
domum exeat, & ne velis videre filias regio-
nis alienæ, quâvis fratres habeas Patriarchas,
& Israel parente læteris; nam Dina domum
egressa corrumpitur; nolo igitur, te sponsum
querere per plateas, nolo te circumire angulos
civitatis. Zelotypus est Iesus, non vult ab alijs
videri faciem tuam: foris vagentur virginibus
stultæ, tu intrinsecus esto cum sponso: & in e-
pistol. 3 ad Gaudentium ait: *Nec liberius
procedat ad publicum, nec semper Ecclesiarum
querat celebritatem, in cubiculo suo totas de-
lectas habeat. hæc ille: Ambrosius ad idẽ
super Lucam ait: Discite virginibus sacre non
circumcurfare per alienas aedes, non demorari
in plateis: & in exhortatione ad Virgines
ait: Nullus sit sine matre progressus, que sit
anxia tui custos pudoris; ipsa quoque ad Ec-
clesiam progressio rarior sit adolescentulis. Sa-
cra Scriptura insignẽ illam sceminam Lu-
dith, clausuræ amantissimam proponit,
dicens: In superioribus domus suæ fecit sibi se-
cretum cubiculũ, in quo cum puellis suis clausa
morabatur. similem clausuram obseruasse
arbitror Saram, ut non obscure colligi-
tur ex lib. Genesis; cum enim tres Ange-
li Abraham inuifere venissent, non in-
uenerunt Saram, quia in penetralibus do-
mus latebat, nec inde exiuit, quousque
ab Angelis accessita fuit dicentibus: Vbi
est Sara vxor tua? Verũ non solum fi-
deles, sed & Ethnici homines magni mo-
menti esse putarunt sceminarum clausu-
ram ad pudicitiam conferuandam: ut**

D. Ambros.

Judith. 3.

Genes. 18.

enim refert Tiraquellus in l. i. connubiali,
Plutarchus testatur, moris fuisse apud
Bœtios, ut coniux ad nuptias curru du-
ceretur, & cum in domum reducebatur,
continuo aderant, qui currum combure-
bant, significare volentes, iam non ultra
opus sibi esse curru, cura perpetuo domi
consistere deberet.

*Tiraqu. in
lib. 1.*

Idem etiã Plutarchus commemo-
Phydiam, celebrem sculptorem, Veneris
pulchram statuam affabrefecisse, illam-
que super testitudinem quãdam posuisse,
tum, ut lento illo gressu, quo illa gradit-
ur, significaret, sceminam debere deambu-
laticem non esse; tum quia, sicut testu-
do non aliter de vno loco ad alium
mouetur, nisi intera domunculam suam
clausa, & eandem super se deferens; itã
scemina, & maximè virgo, tam ægre
ferre debet domus suæ clausura egredi, &
foris incedere, quã si totam domus
molem super humeros iatura esset. Tandem
D. Paulus hortatur, vxores clausuram
domus suæ seruare; nam vbi nostra
vulgata legit: *ut sint domus curam habentes,*

Plutarchus.

Tit. 2.

originale Hebræum habet, ut sint *custodes
domus*: atque huc arbitror tendere verba
Salomonis, dum de muliere prudenti
ait: *Considerauit semitas domus suæ, & pa-
nem otiosa non comedit.* Primum ait, illam nõ
per alias vias circumcurfare, nec per alias
peruagari ciuitatis plateas, quã per se-
mitas domus suæ. Secundò ait (quod
& nostro argumento deseruit) otiosi-
tatis inimicam esse: *& panem otiosa non
comedit*: hoc enim secundum est pro-
pugnaculum virginitatis: exercituum
autem, quo otium vitabat, adnotauit et-
iam Salomon: *Et digiti eius apprehende-
runt fusum.* Spiritus sanctus etiã in To-
biæ vxorem laudat, quod otii inimica te-
xeritæ arti vacaret. Hinc Hieronymus ad
Demetriadem honestissimam Virgineam
scribens, inquit: *Habeo lanam semper in*

Proa. 11.

1bid.

Tobia. 2.

Eccl. 10.

manibus, vel flammis pollice sula deducito;
& in epistola ad Latam de institutione
filiæ ait: *Disce lanam facere, & ponere in
gremio gularum, rotare fusum.* Quid plura?
ipsa

D. Hieron.

ad Demetriadem.

D. Hieron.

*in epist. ad
Latam.*

ipsa

ipsi Romani solo lumine naturæ illustrati, ut auctor est Plinius, cum sponsam ad nubendum ducerent, manu illa fulsum deferrebat, ut hoc symbolico ritu aduerteret, non otio languere, sed labore manuum suarum illud continuo vitare debere: Alij vero Gentiles, ut significarent, longè à virginibus relegandum esse otium, si castitatis, thesaurum custodire velent, virginitatem in hunc modum descripserunt: perbellam quamdam, ac venustam puellam depingebant, capite cœlum tangentem, cuius dextera falicis ramum ferebat, sinistra vero examen apum continebat, falicis ramus symbolum erat castitatis (ut tradit D. Hieronymus super cap. 4. Zachariae) quia, ut ipse ex Medicorum sententia testatur, flos eius aquæ immillus, & ebibitus, carnis petulantiam compescit, ac Venereis ardorem mitigat; ad custodiendam autem hanc castitatem per falicem significatam, duo præsentissima remedia ei exhibebant; primum, ut capite tangeret cœlum, hoc est, quæ sursum sunt, saperet, non quæ super terram, sed corde, & animo cœleste auxilium semper imploraret, quasi prædorascent id, quo Spiritus sanctus ait: *Quoniam aliter non possem esse continens, nisi Dominus dedisset.* Alterum remedium fuit, ut otiositatem diligenter vitaret, id enim sibi volebat examen apum, quas constat adeo laboriosas esse, & otij inimicas, ut longissima etiam itinera conficiant ad debitam fuit materiam quærendam; qua semel habita, nulli parcunt labori, quousque & mel, & ceram in humanos usus adeo necessariam elaborauerint. Non solum autem otiositas virginibus, sed cuiuscumque status & conditionis viris, ac feminis nocua, esse perhibetur, Ecclesi. 33. dicente: *Seruo maleuolo toruata, & compedes, mite eam in operationem ne vacet, multam enim malitiam docuit otiositas: equidem cum Deus creauit hominem, nouit eum esse otiosum in paradiso, ut verba Moysis testantur, sed cultorem illius eum constituit: Tulit Deus hominem, & posuit*

eum in paradiso voluptatis, ut operaretur & custodiret illum: vnde quidam Imperatores Romani quasi primum patrem imitantes, ut referunt Cicero lib. de Senectute, & Fulgostius tit. de otio honesto, hortos habebant, quos propriis manibus ad otium vitandum colebant, quod multorum scelerum origo esse solet, ut obseruauit Ouidius lib. 1. de remedio Amoris, dicens:

Queritur Aegyptius, quare sit factus adulter, Ouidius.

In promptu causa est, desidiosus erat.

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.

D. autem Bernardus in vniuersale loquens dixit: *Omnium tentationum & cogitationum malarum, & inutilium semina est otio vitando.* hanc fuisse legem stabilitam, ut refert Laetius lib. 3. c. 2. ut otiosi hominis haberentur tamquam rei omnium scelerum, de quibus accusarentur, ita ut nulla alia desideraretur probatio ad eorum punitionem.

Ad hæc, inter alia non pauca, quæ sacra Virgo in Templo degens, virginibus imitanda proposuit, modestia etiam fuit, & verecundia, quibus diuino sponso summo opere placuit. Memini Pamphilum poetam ineptè satis dixisse: pudorem filium esse rusticitatis:

Nam venit à sola rusticitate pudor.

Sed falsa eum sua fecellit opinio: nam, ut sapienter Valerius Maximus dixit *Ve. Valer. Max. recundia parens est omnis honesti, magistra inde verecund. nocentia; chara proximis, accepta aliens, omni loco omni tempore fauorabilem proferens vultu.* vnde Ecclesiasticus inquit: *Gratia super Eccl. 26 gratiam, mulier sancta, & pudorata.* immo de Aristorelis filia fertur, quod interrogata; quinquam ex coloribus magis ei arderet, respondit: *Optimus color est, quem ingenium gignit pudor: videturque tententiam hanc didicisse à parente suo Aristotele in Arist. in Pol. Politicis, dicente: Plus homines, erubescencia rei amata, quam alia eius perfectione capiuntur præcipue tam en apprimè necessaria est adolecentibus, tam viris, quam*

M m 3 temi

fœ niniis, vt eleganter docuit D. D. nbro
 D. Ambros. sua lib. i. de officiis in hæc verba: *In adole-*
lib. i. de offi. lescenibus verecundia, velut quædam uirtu-
re. d. s. commendatur, & est prima disciplina;
hæc in ipso corporis motu, gestu, & incessu te-
nenda est, habitus enim mentis cernitur in sta-
tu corporis, & vox quedam est animi corpo-
ris gestus, vel motus: in ipso quoque corporis
 D. Ambros. decore verecundia plus eminet. Atque hinc
 lib. 3. de Vir. est, quod ipse D. Ambrosius lib. 3. de Vir-
 Gen. 24. ginibus scite adnotauit, insignem vere-
 cundiam, quam præ se tulit Rebecca, quando, vt legimus Genes. 24. ducta ad nuptias, & admonita, quod vir, qui à longe videbatur, erat Isaac, futurus eius maritus, confestim nulla interposita mora velo vultum suum cooperuit; manifestum sanè suæ pudicitie argumentum; nam, quæ marito proximè futuro præ verecundia faciem velabat, longè aberat ab illarum leuitate, quæ videre, & ab omnibus videri desiderant. De Abimelech narrat facta Scriptura, quod eximiam Saræ pulchritudinem admiratus, ne forsitan aliis, quod ipsi contigerat, accidisset, qui amoris illius flammis exarsit, mille argenteos ei donauit, vt velum emeret, quo verecundiam suam ostendens, miram vultus sui venustatem, ac pulchritudinem contegeret: *Ecce mille argenteos dedi fratris tuo hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum sunt:* ita hunc locum interpretantur Tertul. lib. de velandis
 Tertul. Virginitibus, Lypomanus in catena super
 Lypō. Schol. Gen. cap. 20. Marginalis Scholiastes in
 marginal. Biblia Sanctis Pagnini. Ceterum non
 Gen. 20. solum moralis disciplina, sed & natura ipsa, si non sermone, saltem ipso opere verecundiam virginibus libentissimè amplectendam fore non obscurè docuit:
 Plin. l. 7. c. 17. nam, vt auctor est Plinius, cadauera virorum visa sunt super aquam natante facie sursum respiciente: foeminarum vero, non nisi vultu versus aquam conuerso; quo natura ipsa verecundiam foeminas valde decere apertissimè demonstrauit. Atque hinc patet imprudentium quazundam Virginitum dementia, quæ virgi-

nei pudoris in memores, cum eorum leuitas, & in modestia cunctis patula reprehenditur, ipse insipienter respondent: nihili pendimus hominū dicta, & vt Hispanice dicitur: *Dignam, que de Diis diuina:* O stultam responsionē: cuius stultitiam perpicue satis damnat illud, quod sacra Num. historia cōmemorat: cum enim Deo dicenti velle populū suum peste consumere: *Feriam igitur eos pestilētia, atq; consumam:* Moyses qui dem respondit, quod si id faceret, anam præberet Aegyptiis, vt dicerent: *Nō poterat introducere populū in Terram, pro qua iurauerat, idcirco occidit eos in solitudine:* quo audito (licet alioquin illud minimè Deus ignoraret) continuo ad exemplum nostrum pepercit populo suo, & auertit malum, quod ei minatus fuerat facere: si ergo Deus ipse cauit, ne quidquam Aegyptij contra illum dicerent, & ad id vitandum, euaginatam iræ gladiū in misericordie vaginam misit; quanto, quæso, maiori cura nobis, & maximè Deo dicatis virginibus, cauendum erit, ne corporis leuitatem gestus immodestia, licentiosam loquelā, aut inordinatā viuendi rationē, detrahendi occasionem, obseruantibus illas temerè præbeamus?
 His tantis admixculis clausuræ: verecundie, ac vitandi ortij sollicitudinis, aliisque similibus, quæ longum esset percensere, & prolixius pertractare, indiget fulciri virginitas, ne Virgines pudicitie suæ iacturam miserè patiantur: cuius eam potissimā arbitror rationem, quod vt vanissimi consensu sancti Patres contestantur, multo difficilior sit contra Venerem, quam contra Martē victoria, & ideo pluribus indiget adiumentis, & subsidiis, vt de D. August. lib. de agone Christiano ait: *Inter omnia Christianorum tormenta, duriora sunt prelia castitatis, vbi continua pugna, & rara victoria:* Idem etiam Augullinus de verbis Domini serm. 43. *Nolumus, vt nulla sit concupiscentia, sed non possumus, velimus, nolimus, habemus illas, si. serm. villant, blandiuntur, stimulant, surgere volumus, premunt: id ipse satis expertus, ingenue fatetur*

D. Aug. lib. 8. Confessionū cap. 7. quod quādo diuina inspiratio animum eius pulsabat, vt Christianæ militia nomen suum daret, nihil magis conuersionem eius retardabat, quā quod casū viuere deberet. Sed attendamus, quid in hoc genere argumenti dicat D. Hieronymus. Ceterū epistola ad matrem, & filiam in Gallia commorantes, dixit: Ferreas mentes libido domat: & epistola ad Nepotianum, quæ incipit: Petis à me, hæc scribit: Vide, ne sub eodem tecto inuaseras, nec in præterita castitate confidas, nec Samsonē fortior, nec Salomone sapientior esse potes: memento semper, quod paradisi colonum de possessione sua mulier eiecerit: In epistola etiam ad Amandum de quaestionibus noui Testamenti, obseruauit acutè, facilius conteri peccatorem de aliis peccatis, vt de homicidio, petiurio, & similibus, quā de libidine, cuius reddens rationem, inquit: Sola verò voluptas, ac libido etiam in ipso tempore penitentia præteritis stimulos patitur, & per hæc, quæ cupimus cogitantes, rursus fit materia delinquendi. Sæpe enim contingit, vt dum venerea crimina in confessione aperire parati, memoria euoluimus, Venereis laqueis iterum iteriamur. Iple etiam D. Hieronymus lib. epistolarum hanc difficultatem præsentens, ab omni humano consortio sequestratus, & velut alter Paulus, corpus suum castigans, & in seruitutem redigens, tot carnis stimulis agitabatur, vt diceret: Putabam me Romanorum interesse deliciis, & sicca iam carne præmortua, sola incendia carnis bulliebant: hæc Diuus Hieronymus. Audiamus nunc sanctum Ambrosium lib. de Dauid, dicentem: Samson validus, & fortis leonem suffocauit, sed amorem suum suffocare non potuit: vincula soluit hostium, sed suarum non soluit nexum voluptatum: messes incendit alienas, sed vnius ipse mulieris accensas igniculo, messem suæ fortitudinis amisit. Iple etiam lib. 4. super Lucam cap. 4. ad difficultatem hanc magis ostendendam narrat, quod cum quidam infirmus à Medicis moneretur, ceterò visum fore amissurum, si à matti-

monij vsu non se abstineret; ille rei difficultate perterritus, medicorum consilium respiciens, contumè in hæc verba prorupit: *Vade amicum lumen: eligens magis Veneri vacare, quā visum conseruare. Sed iam ad idem accedat Diuus Bernardus super Cantica dicens: Quatumuis in hoc corpore manens, profeceris, erras, si vitia putas emortua, & non magis suppressa; velis, nolis, infra fines tuos habitat Iehusæus, subiugari potest, non exterminari: Accedat etiam Diuus Cyrillus cath. 12. dicens: Non ignoramus castitatis gloriam, angelica enim est corona, & supra hominem est hæc perfectio: similia dicit Cassianus lib. 6. *Vlra naturam est, carne circumdatum carnis aculeos non sentire. Ac rādem, præter quotidianam experientiam, quæ non sine ingenti animi nostri detrimento in vincendis carnis illecebris miram difficultatem palam facit, id quod Lucas Euangelista cap. 4. narrat, nimirum, inter omnes illos ad cenam inuitatos, nullū licentiosius ab ea se excusasse, quā qui vxorem duxerat, satis illam ostentat; quidam enim dixit: Villam emi, habe me excusatum; alter iuga bouum emi, & eo probare illa: qui vero coniugem acceperat, liberius: vxorem duxi, non possum venire: ecce nullus illorum præter istum, impotentiam allegauit, quo apertissimè significauit difficultatem, quā in abstinentendo à carnis deliciis præsentiebat, in gentem adeo esse, vt eam impotentiam vocare non dubitaret: vxorem duxi, non possum venire. Exstat ad idem Christi Domini testimonium, omni exceptione maius, dum per Matthæum de Virginitate loquens, dixit: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est; qui potest capere, capiat; in quæ verba D. Hieronymus dixit: Nemo autem potest, sed hoc verbo: sed quibus datum est, fatum, vel fortunam introduci, sed iis datum esse à Deo, qui petierunt, qui voluerunt, qui, vt acciperent, laborauerunt. huc etiam facit, quod de matre fortissimi illius Ducis Achillis varij commemorant auctores, quæ cum quodam**

D. Bernard.

D. Cyrillus.

Cassian. li. 6.

c. 6.

Luc. 4.

Matth. 19.

D. Hieron.

super cap. 19.

dam liquore vellet corpus eius inungere, ut illud obduraret, & contra aduersariorum tela robustius redderet, solum renes, ubi libido dominatur; absque vnctione prætermisit, significans in hoc, humanam industriam ad vincenda carnis incentiua minimè sibi sufficere posse. hæc enim sanctissimos quoque viros non semel superarunt, ut auctor est, & testis D. Bonauentura, qui in quodam suorum opusculorum, ait: *Sermo rigidus, & breuis cum mulieribus est adhibendus; nec tamen, quia sanctiores, eo minus periculosiores, quo enim sanctiores sunt, eo magis alliciunt, sub prætextu blandi sermonis, & immiscunt se vitis impiissimæ libidinis. Episcopus sum, in Christo loquor, crede mihi, quia non mentior, vidi cædros Libani, id est magnæ contemplationis viros, & magnos Prælatos Ecclesiæ sub hac specie corruisse, vidi de quorum casu non magis præsumebam, quàm de Hieronymo, & Ambrosio. Atque hoc idem putant nonnulli significare voluisse antiquos Astrologos, dum Libram, & Taurum constituunt Veneris domum, cum enim Libra iustitiæ, Taurus fortitudinis symbolum sit, non obscure indicarunt, quandoque Venerem iustos, ac fortissimos viros superasse, & tamquam in propria domo diu in eis habitasse.*

D. Bonau. in
opuscul.

2. Cor. 4.

Quamuis autem hæc difficultas in superando infestissimo libidinis hoste, per totum genus humanum grassetur; quia (ut inquit D. Paulus) *habemus thesaurum in vasis fictilibus: vasa autem fictilia exigua, ac modicam vim habent ad resistendum: illa tamen magis viget in Virginibus, tum propter maiorem sexus imbecillitatem; tum quia, ut D. Hieronymus lib. de vitando suspecto contubernio, tam eleganter, quàm verè dixit: Libido in Virginibus maiorem famem patitur, dum dulcius esse putatur, quod nesciunt: vnde oportet eas viriliter contra carnis illecebras pugnare, nisi velint ab eis facile superari; quod non obscure indicant verba Exodi: nam vbi nostra Vulgata ait: *Virgines in ostio tabernaculi exsorbasse: Hebræum**

Exod. 38.

originale habet: *In ostio tabernaculi militasse; cui lectioni consentanea sunt verba illa Cantico: Quid videbis in Suanite, Cant. 7. nisi choros castrorum? inaudita sanè copulatio castrorum cum choris: nam in castris pugnatur, in choris cantatur; in castris sanguis hominum spargitur, in choris oratio ad Deum effunditur; in castris tubæ ad prouocandos militum animos audiuntur, in choris psalterij, & organi voces sursum corda ferentes personant: quid igitur choris cum castris? multum per omnem modum, quia Virgo Deo dicata instar chori, diuinas laudes in ore semper gerere, & instar castrorum militibus armis, inimiciæ carnis petulantiam continuò retundere debet. ad quod sanè alludens D. Ambrosius, pulchrè dixit: *Quid de Virginibus Bononiensibus loquar fecundo pudoris agmine, quæ relicto parentum hospitio, tendunt in tabernaculis Christi, infesse milites castitatis, nunc canticis spiritualibus personant, nunc victum operibus exercent: quia vero in castris arma spiritualia, non specula necessaria sunt, idcirco feminæ illæ militantes, quas nuper dicebam, non abs re vitrea specula abiectæ dicuntur; in hac enim Virginum militia non splendida specula ad ornatum, sed orationis, ieiunij, ac vigiliarum fulgentissima arma ad carnis lasciuam expugnandam desiderantur. Tandem hæc difficultatem duo mihi videntur mirum in modum augere: Primum est, quod caro, aduersus quam bellum geritur, præ nimia sua sagacitate mille stratagemata ad expugnandam animam excogitat, ut egregiè docuit fabulosa illa Ouidij narratio, singentis, acrem fuisse exortam pugnam inter Acheloo, & Herculeum supremi Deorum filium; at videas Acheloo se infirmum, ac debilem esse, implens illud Prouerbiū: *Vbi non est fortitudo leonina, suppleat industria vulpina; vatiis incantationibus vtens, in serpentem se conuertens Herculeum inuasit; sed victus Acheloo, ferocissimam tauri naturam assumpsit, & sic iterum cum illo congregiens, accessimè***

D. Ambrosius
1. de Virg.

Ouid. fab.

Prouer. 12.

acerrimè, vltra quàm dici possit, cum illo pugnavit: non dissimiliter in pugna illa spirituali inter corpus, & animam, de qua D. Paulus: *Caro concupiscit adversus spiritum: qui meritò filius supremi Deorum vocari meretur, iuxta illud eiusdem Apostoli: Ipsius enim, & genus sumus: appetitus sensitivus varias formas, instar Acheloo, induens, nunc, vt tortuosus coluber, innumeras insidias parat, nunc velut taurus excan descit, & fremit, vt spiritum expugnans, carni inferuire faciat, ecce non potest ex tanta huius hostis astutia, & sagacitate, non ardua valde, ac perdifficili reddi eius victoria. Secundum, quod eandem difficultatem aperitissimè demonstrat, illud est, quod in hoc spirituali bello non pugnat totus homo. Certè cum miles adversus alium militem insurgit, totus miles pugnat, spiritus, caro, pectus, brachia, manus, scœmora, crura, & pedes pugnant, in hoc autem duello non totus homo, sed vna eius pars, scilicet spiritus pugnat adversus carnem, ad cuius latus innumeræ sunt hostium legiones adversus spiritum auxilium ei ferentes; si enim pulchram mulierem intuearis, agmina inimicorum confestim tecum pugnare incipiunt; pugnat decor frontis, venustas oculorum, pulchritudo vultus, rubicundo genarum, flavus color capillorum, caput exornatum, vbi tamquam è sublimi arce tot te hostes propugnant, quot capitis sunt capilli; quis autem non videat, vnus pugnantis adversus pœne infinitos hostes victoriam esse difficillimam, immo, & solis naturæ viribus impossibilem?*

Verùm, cum hucusque difficultatem libidinem superadi planè ostenderit, remedia opus est, ad illam vincendam adhibeamus: alij alia præstabant: ego vero, quia argumētum hoc alibi fusius tractandum duxi, tria laconico (vt aiunt) stylo perstringam. Primum, & à Patribus sæpe inculcatum est, fuga ab hominum consortio, præcipuè tamen D. Hieronymus illud docuit in epist. ad Eustochium,

vbi Virgines alloquens, hæc aurea verba scripsit: *Viri cuiuscumque status, etsi cum sanctitas, exornet, etiamsi Ioanni Baptistæ equaretur in meritis, quaratim effugere faciem, nec liceat secum dilectione ferventi adstringi. credatis experio; nihil omnino est periculosius vivo, quàm mulier, & mulieri, quàm vir; vterque palea, vterque ignis, dicam audacter, prob dolor, Dei templa, spiritus sancti vasa, & Deo dicata edificata, nisi diligentissima serventur custodia, prostibula sunt, & auferuntur tam nobile depositum, tam preciosus thesaurus, irrecuperabile decus castitatis. omni igitur custodia servetur cor, super muros Ierusalem ponantur Custodes, tota die, ac nocte non dormiant, nec fur introeat, ne spolia auferat, quæ penitus recuperari non possunt. hæc ille. Ad hanc eandem cautelam habendam exhortans D. Augustinus Rusticum, ait: *Matrem tuam ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quæ vrum vultus cordi tuo hereant; ancillas, quæ ibi sunt, tibi scias esse in insidiis, quia quanto vilior earum conditio est, tanto facilius ruina est: ecce Patres ad Virginitatem conservandam fugam consulunt, & labendi occasiones pœnitens refecare moment. In cuius figuram lego lib. 2. Reg. 5. cap. 5. quod cum Dauid à Deo sciscitaretur, quomodo expugnaret Philisthæos, responsum accepit: ne facie ad faciem in illos inuaderet, sed à tergo exercitum illorum irrumperet moliretur. sed videtur fortasse alicui, non esse hoc honorificum genus hostem devincendi; nam, vt refert Plutarchus in suis Apophthegmatibus, ad monitus Alexander magnus, non posse aliter Urbem quandam, quam sibi subiugare cupiebat, debellari, nisi nocturno tempore illam ingrediendo, cum ciues somno vacarent, respondit, se minimè id facturum, quia non vnerat velut latro ad surandam victoriam, sed vt fortissimus Dux ad illam de hostibus acriter pugnantibus, gloriose reportandam: non diffiteor, id honorificentius esse in temporali pugna, at longè diversum iudicium ferendum est in pugna spirituali adversus carnem, & sanguinem: confu-**

N n lens

D. Augustin.

2. Reg. 5.

Plutarch. in Apophthegm.

2. Reg. 5.

Ed. 5.

Ed. 17.

Ed. 17.

Ed. 17.

Ed. 17.

Ed. 17.

Ed. 17.

Ed. 17.

2. Reg. 5. lens enim Deus Dauidem, ne Philisthæos facie ad faciem aggredereur, sed à tergo eos expugnaret, significauit aperte carnē, & sanguinē non aliter melius uinci, quàm si eorum faciem fugiamus. arbitror etiā simul significasse, in Veneris peccatis nō esse aspiciendam faciem, hoc est, principium illorū, voluptatis dulcedinem preterens, sed aspiciendum potius tergum, hoc est, finem eorum, dolorem scilicet, & fastidium, quod ingerūt, & graue vulnus, quod animæ inferunt. Ad hæc, Christum Dominum obseruauit D. Athanasius exemplo suo nos docuisse, fugam, & cautelam præsentissima remedia esse ad castitatem conseruandam; nam præterquam rarus erat sermo illius cum foeminis, vt patet ex testimonio Ioānis dicētis, quod discipuli videntes eum cum Samaritana sermonem iniisse: *Mirabantur, quod cum muliere loqueretur*, quasi rem nouam, & inusitatam intuerentur; præter hoc, inquam, D. Athanasius versans illa Christi Domini verba ad Magdalenam: *Noli me tangere*: ait, propter tactū illi prohibuisse, quia solus, & sine teste aderat, vnde, cum illa postea venit cum aliis, osculum, & tactum pedum non interdixit, vt Euangelista testatur: id sanē fecit Christus, non vt in se, qui impeccabilis erat, alicuius mali periculum præcaueret, sed vt exemplo suo nos edoceret, in hac materia nisi prolabi magis placeat, & cautos esse, & fugam arripere nos oportere.
- Secundum remedium ad hunc hostem vincendum, timor est supplicij, quo id genus peccati non semel Deus diuinæ iræ hastam vibrans acriter punire consueuit; propter illud namq; vniuersam terrā copioso illo aquarū diluuit inundauit; propter illud super quinque Ciuitates misit de cælo fulgura, & ignem voracissimū, breui tēpore illas absunxit; propter illud, Ruben maledictio patris sui grauiter tortis; propter illud insignem Ciuitatem Sichem, & serē totam Tribum Beniamin deuastauit; propter illud subitanea morte Onan interemit, Amnon interfecit, Sarr
- maritos suffocauit, falsos Senes in Susannam lasciuientes capite multauit; Dauidem, & Salomonem variis plagis affecit; ac tandē propter illud eodem die viginti tria hominū millia populi Israelitici enecauit. & quidem si cuncta supplicia, quibus in hoc vitij genus diuina iustitia animaduertit, recensere vellem, tempus mihi potius, quam materia deficeret; quare Veneris cultores solum cum D. Paulo interrogabo: *Quem fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis? quoniam finis illorum mors est*: nullum alium responderē poterunt se accepisse, quàm quod in hac vita inferni tormenta experiri cœperint; nam si castitas cælum est, luxuria infernus est; consequentiam hæc, & format, & probat D. Bonauentura; quia, sicut tria in inferno vehementer excruciant, ignis, vermis, & fœtor; sic in libidinis peccato hæc tria grauem molestiam inferunt; ignis ardēs concupiscentiæ, quæ exurit; vermis conscientia, qui mordet; fœtor infamia, qui honorem denigrat; hi quidem meritō sibi vsurpare poterunt verba illa Rebecca, dolentis se concepisse: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere*: si momentanea delectatio tam graues exsoluit penas, quid opus erat Veneri vacasse, & cū tam certo animi, & corporis discrimine carnis voluptatibus indulgisse.
- Tertium denique remedium ad hunc hostem vincendum non parui momenti esse putauerim, si Virgines, vt viriliter pugnent, victoriæ suę immarcescibilem coronam, ac cælestis patriæ præmiū illud: *Vinceni dabo manna absconditum*: sibi ob oculos proponant. In cuius figuram sacra narrat eloquia, quod, vt Deus filiis Israel pugnam aduersus hostes suos suscipiendam suaderet, futurum præmiū illis proposuit in hæc verba: *Dabo vobis terram lacte, & melle manantem*: hoc est, terram fecundissimam, vberissimam, & bonis omnibus temporalibus affluentem: hic est cortex, literalis sensus horum verborum; at si spiritus eorum medullā fugere cupimus, arbitror illis verbis significare voluisse,

voluisse, non aliter illos ad promissæ ter-
ræ dulcedinem peruenturos, quam per
laboris, & pugnae amaritudinem: sicut
enim candidum lac, prius est cruentus
sanguis, vt Medici docent, & dulce mel ex
amaris, & inspidis floribus conficitur;
non secus, vsque ad sanguinem, si opus
fuerit, resistere oportet Virgines, & per
mortificationis amaritudinem transire,
si cœlestis beatitudinis suauissimo lacte,
dulcissimoque melle perfrui desiderant.

Narrat Rosinus de Antiquitat. lib. 3. c. 19.
quod iuxta ianuam domus Deæ Vestæ,
vbi virgines Vestales suam virginitatem
ei dicabant, aderat arbor, nomine *Lothos*,
quam, obliuionis arborem vocabant, &
ex qua illæ capillos de capite suo præci-
fos pendebant, vnde ortum habuit Pro-
uerbium illud antiquum: *Lothos capillata*:
quam egregiè quidam Poetarum descri-
psit:

*Vt quondã Vestæ scindebant sacra capillos;
In viridem iactans, virgo dicanda.*

Erat autem arbor hæc aspera, ac sentibus
plena, vt auctor est Polybius, fructus verò
illius dulcissimus. vnde originem sumpsit
Homeri, & Ouidij fabula, qui fixerunt,
Vlyssis socios, cum primum illius arboris
dulcem fructum degustarunt, patriam,
amicos, ac reliqua omnia obliuioni tra-
didisse, vnde Alciatus cecinit.

*Sic Ithacũ præmissa manus dulcedine Lothi
Liquerat, & patriam liquerat atq; Ducem.*
ecce Ethnici etiam homines solo lumine
naturæ ducti, ferè omnia, quæ hucusque
diximus, factitabant. Sub quibus sanè mi-
ra Virginitibus traduntur documenta, im-
primis ad ianuam templi Vestales virgi-
nes capillos scindebant, eosque super ar-
borem Lothos (arborem, inquam, obli-
uionis) proiiciebāt, quo genere ritus do-
cebantur, quæcunque mundi pulchra, &
grata sunt, honores, diuitias, parentes, &
cognatos perpetuè obliuioni cōmendare
debere. hoc, quid aliud erat, nisi quod

Dauid singulis Virginitibus suadet: *Obliuif-
cere populum tuum, & domum patris tui, &
concupisces Rex decorem tuum: Cum etiã
antiqui, Virgines illas Vestales intra do-
mum Deæ Vestæ simul habitare præci-
piebant, clausuram Virginitatis omninò
necessariam apertè docebant: quod verò
arbor illa Lothos talis naturæ esset, vt spi-
nis, ac sentibus esset plena, fructus verò
guttur dulcissimus, non obscure signifi-
cabat, oportere virgines, vt lauream vir-
ginitatis suæ suauissimum fructum degu-
stent prius per difficultatũ sentes, spinas,
ac vepres, quas ad virginitatis custodiam
superare opus est, viriliter petranseant.*
Vel dicamus aliter, arborem illam *Lothos*
arborem Crucis delineare, clauorum sen-
tibus plenam, cuius fructus suauissimus
est animæ esurienti, vt testatur sponsa: *Et*

*fructus eius dulcis gutturi meo: ab hac ar-
bore suspendunt sacræ Virgines in tem-
plo dicatæ capillos cogitationum suarũ,
in Christum solum fructum illius, cogi-
tatum suũ iactantes, vt ab illo enutrian-
tur, iuxta illud Davidis: Iacta cogitatum*

*tuum in Domino, & ipse te enutriet: ex hac
item arbore suspendunt sacræ Virgines,
velut Israelitæ in salicibus organa sua,
hoc est delicias, diuitias, & honores, qui-
bus perpetuò priuari, amore Christi, eli-
gunt: in hoc Vlyssis sociis dissimiles val-
de, qui, vt narrat Homerus *odyssæ 9. Homer. od.*
& Ouidius *9. Metamorph. cum arbori illi 9.*
Lothos adhærentes, ab ea separari nolent,
tandem flagellis lacerari, ab ea discedere
compulsi sunt; longè aliter sacræ virgi-
nes Catharina, Agnes, Agatha, Cæcilia,
Lucia effecerunt, quæ virgarum flagellis
cæsæ, ferreis vnguibus excarnificatæ, ac
variis tormentorum generibus confectæ,
à Crucis arbore, & à Christo eius fructu
nec per momentum dimoueri po-
tuerunt. Cui sit honor, & gloria
in sæcula sæculorum.*

Amca.

FINIS LIBRI TERTII.

Nn 2

DE SA-